



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

§. 1. Fundamentum recentiorum pro sententia negante habitus voluntatis
distinctos à cognitione obiecti, refellitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

eo plures, & intensiores species obiecti sunt in intellectu, & facilius percipitur, quia specierum intensio maximopere conducit, ad cognitionem facilius eliciendam.

- 14 Ultimo noto, intellectum non solum faciliorem reddi per repetitionem actuum, ad alios similes eliciendos; sed etiam per multitudinem cognitionum, seu specierum diuersorum obiectorum, etiam reddi aptiorem ad cognoscenda alia obiecta, distincta ab his, quorum species habet. Ratio est. Quia, cum intellectus inferat vnum ex alio, quo plura principia habet, eo plures conclusiones potest inferre ex illis, & ideo homines docti circa varia obiecta facile circa quodcumque aliud, denuo propositum discunt. Quia iuuantur variis notitiis, tum propter connexionem obiectorum, tum propter paritatem, & proportionem eandem in diuersis obiectis illarum ad sua principia.

PUNCTUM III.

An dentur habitus in voluntate.

- 1 Tenet communis sententia dari habitus acquisitos in voluntate, distinctos ab speciebus, & cognitionibus, proponentibus obiectum. Lego apud Arriag. disp. 9. sect. 3. sub. l. n. 43. duos, vel tres recentiores a voluntate habitus relegasse, docuisseque: facilitatem voluntatis ad suos actus consistere in cognitione intensa bonitatis obiecti. Et P. Lugo de incar. disp. 16. sect. 7. n. 119. ait insinuasse in libris de anima: habitus acquisitos potentie voluntatis consistere in recta ordinatione specierum, & experientia actuum praeteriorum, & emolumentum subsequenti ex illis. Quod postea testatur: aliquos recentiores docuisse, & ipse aperte defendit loco citato. In eandem sententiam conspirant, nonnulli recentiores.

§. I.

Fundamentum recentiorum pro sententia negante habitus voluntatis distinctos a cognitione obiecti, refellitur.

- 2 Fundamentum, quod ex recentioribus refert Arriaga, ad relegandos habitus, distinctos ab speciebus, & cognitione obiecti, nullius est ponderis. Illius rationes breuiter refello.
- 3 Arguunt primo. Actus supernaturales non producant habitus acquisitos; ergo neque naturales. Antecedens huius argumenti est valde dubium, & multi illius oppositum ex opposito consequentis inferunt, arguentes: actus naturales producant habitus acquisitos; ergo & supernaturales. Cur autem naturales actus producant habitus naturales, & supernaturales non illos supernaturales producant, dicam Punct. 7. Neque ratione formae argumentum vim habet. Haec enim est inepta consequentia: Homo potest producere alium hominem; ergo lignum potest aliud lignum producere. Ex his infero: hoc argumentum nullam vim habere pro recentiorum sententia; potest tamen efficax esse ad hominem desumptum contra eos, qui nouam facilitatem concedunt ad actus supernaturales sine nouo habitu. Qua ratione illud postea expendam.
- 4 Arguunt secundo recentiores: Voluntas nequit ferri in incognitum; sed si daretur habitus, ferretur in incognitum secundum illum excessum inclinationis prouenientis ab habitu; ergo non dantur tales habitus. Hoc argumentum potest retorqueri in recentiores, constituentes facilitatem, & inclinationem ad obiectum in ipsa cognitione; Quia si cuti voluntas non cognosceret habitum inclinantem, si daretur, ita non semper cognosceret cognitionem, qua in obiectum propenderet. Quod si aliquando illam cognoscat, haec cognitio impertinens est ad amorem obiecti, quia ad hunc tantum trahit cognitio bonitatis obiecti; non vero cognitio reflexa cognitionis, qua obiectum cognoscitur; ergo eadem ratione diceretur obiectum ferri in obiectum incognitum secundum rationem propensionis, quam habet in illud, siue propensio a cognitione, siue ab habitu alio procedat; ideoque in omnium sententia hoc argumentum soluendum est. Quod facile praesto. Respondeo: Ad amorem obiecti requiri cognitionem, tendentem in ipsum obiectum, & in illius bonitatem; non vero in propensionem, quam voluntas habet ad obiectum, ac proinde eo ipso quod

voluntas feratur in obiectum, bonitas illi propensa est per cognitionem, fertur in obiectum cognitum per amorem illius; quia amor non tendit in propensionem, sed in obiectum, quod amat, & cognitione proponitur, ut bonum.

Arguunt tertio: Facilitas, quam habet voluntas, ad amandum aliquod obiectum, non potest prouenire ab habitu; si daretur habitus in voluntate. Antecedens probatur: si facilitas proueniret ab habitu, quotiescumque est habitus, voluntas illam facultatem sentiret, eandemque sentiret ante ipsum actum experiretur; sed sic est, quod voluntas aliquando sentit hanc facilitatem; aliquando non ergo non consistit in habitu, permanente in ipsa voluntate; sed in cognitione, quae aliquando adest, & aliquando abest. Respondeo, illam facilitatem, etiam si ab habitu procederet, posse sentiri aliquando, & aliquando non; aliquando ante ipsum actum, aliquando tantum in instanti, in quo est actus. Ratio praesto adest. Voluntas dependet in operari cognitione, ita ut sine hac operari nequeat. Ex quo fit, voluntatem, non habentem cognitionem obiecti, non inclinari ad illud, donec illam habeat, & potens fit sentire illud: Sicuti physica praedeterminatio, quae non solum inclinatur, sed determinat voluntatem carentem cognitione. Illius enim formalis effectus est determinare voluntatem ad actum, quem potest elicere; sic effectus formalis habitus est inclinare voluntatem ad actum, ad quem alias supponitur potens. Ex hoc fit voluntatem aliquando sentire inclinationem ad actum ante ipsum actum, aliquando tantum in ipso instanti in quo exercetur, quia aliquando cognitio obiecti tempore praecedit; aliquando vero in eadem mensura temporis coexistunt.

Arguunt quarto: Habitibus superadditi non sunt necessarij, ut voluntas facile prosequatur obiectum; ergo non sunt dandi habitus in voluntate. Antecedens exigebat ad sui probationem explanationem modi, quo voluntas, antea difficilis ad obiectum amandum sine nouo habitu facili constituebatur. Quam si recentiores exhiberem, illorum argumentum efficax esset; dum tamen ab illis non praestatur, non possumus ipsorum rationi acquiescere.

Ultimo, si horum recentiorum sententia apud ipsos maiorem explanationem non habet, quam ex ipsis refert Arriaga, facile reicitur; quia potest quis valde intempestive, atque viuacem cogitationem habere de aliquo obiecto, & non habere inclinationem, & facilitatem ad illud amore prosequendum; ergo facilitas, & inclinatio non consistit in cognitione intensa, atque viuaci bonitatis, seu delectabilitatis obiecti. Antecedens patet in homine timorata conscientiae, qui vehementi cogitatione representante delectabilitatem obiecti pulsatur; & nihilominus magnam sentit difficultatem in illius prosecutione, ne gratiam perdat, seque aeternae poenae periculo exponat. Dedumque grauitur offendant.

§. II.

Explicatur modus, quo posset defendi non distinctio habitus voluntatis a cognitione obiecti, & specietum.

Placet modum quemdam exponere, quo existimo haud difficile posse defendi, non dari habitus voluntatis inherentes, sed facilitatem illius totam ad actus intellectus, & illius species reducendam esse. Quod sic explicet: Voluntas constituitur potens amare obiectum per cognitionem, qua illi representatur ut bonum, & per negationem impedimenti ad talem actum, & praedestinationis ad oppositum independentem a voluntate; quia, si potentia sit impedita, quantumuis obiectum proponatur ut bonum, non poterit illud amare; quae cognitio est attractiua voluntatis ad amorem talis obiecti, & eo magis attrahit, quo obiectum apparet magis bonum, hoc autem, quod est apparere magis bonum aliquando se tenet ex parte obiecti, quia maior bonitas representatur in obiecto, & maior convenientia illius in ordine ad subiectum, aliquando ex parte actus, quia eadem bonitas, & eadem convenientia obiectiuius viuacius apparet per cognitionem magis efficacem viuaciori modo voluntatem allicientem.

Voluntas iam constituta potens amare obiectum modo supra explicato, constituitur potens, illud non amare, per aliam cognitionem, ex feretardantem ab amore talis obiecti, vel inclinantem voluntatem in actum oppositum ad talem amorem; quae cognitio similiter constituit voluntatem potentem